



Syllabus contentorum.

1. Orientis Commenitorium fidelium, cum notis Henr. Leonh. Schwarzfleischii.
2. Christ. Gottfr. Stentzelii Liber de curium blandimentis veris magis quam blandis.
3. Io. Abrah. Birnbaum de natura ac usu studii antiquitatum liber singularis.
4. Io. Christian. Fischeri selecta et varia Latini purioris monumenta, ubi habentur a) Frid. Gotthilf Marschall dicti Greiff Panegyricus in obitum uxoris Sophiae Elisab. Schwartzensfeldia. b) Io. Phil. Steuogtii Progr. de uno studio genere seligendo. c) Eiusd. Progr. de hierarchia Romana. d) Christian. Gott. Schwarzii Progr. in obitum Christian Gottfr. Laur. Rinckii. e) Epistola quaedam selectiores virorum doctissimorum e) Mstr. eruta. f) Varia poetica, ut x) Mr. de Hatten Vir bonus. b) Eiusd. Ovis, Nemo. y) Io. Alexand. Brasavici Nkv, Omni. s) Eiusd. Elegia Mopsus in dolio. e) Io. Pasgeratii Nichil. 2) Io. Henr. Acheri Carmina nonnulla. g) Io. Christ. Fischeri Panegyricus in natalem Frederici III. principis heredis Saxonis Gothiani. h) E. Oratio de concordia nationis et perspicua elegantiq. latina dictationis. i) E. Comento de iudicio phrygum filii Romani vulgo neglecto. x) In christo.
5. Io. Henr. Schaeferi Schedon critica-philologicam, in quo genuina indoles linguarum IV. cardinalium, scilicet Germanicæ, Latine, Græcæ ac Hebrææ, simulq. nævi quibus in vulgaribus præceptis, nec non aliqua compendia doctrinæ addibenda ostenduntur.
6. Georg. Christian. Hallbaueri Diss. de recta linguarum discendarum ratione.
7. Eiusd. Diss. de scriptura, eius origine, natura et variis modis, præcipue per litteras ex ere fissas.
8. Christ. Gottl. Ioecheri Diss. de M. Antonii Frunviri Timoneo.
9. Sigism. Frid. Dresigii Comento de correctoribus imperii Romani.
10. Io. Christian. Fischeri Diss. de Hulecatino clerico Crescentinate, elegantiorum litterarum sæculi XV. in Italia insubatore.
11. Erhard. Reuschii Diss. de bibliothecis Romanorum.
12. Mich. Lichtenhald Diss. de philothecis variis, earundem usu et abusu.
13. Io. Henr. Martii Diss. de præcipuis iisdemq. recentioribus litterarum statonibus ac Mæcenatibus.
14. Sigism. Fritschii Diss. de præcipuis iisdemq. recentioribus litterarum statonibus ac Mæcenatibus.
15. Io. Gottlob Guttleri Comento de lectione monumentorum Græcorum Latinorumq. æroanaticæ et eius in primis dignitate.
16. Sigism. Frid. Dresigii Animadversiones in Fabri thesaurum continuatæ.
17. Dan. Guil. Molleri Diss. de S. Aurelio Victore.
18. Eiusd. Diss. de C. Fannio.
19. Io. Gottfr. Hauptmanni Diss. de Atticismo.
20. Io. Georg. Eccardi Censura diplomatæ Carolini de scholis Onabrugenis ecclesiæ Græcæ et Latine, ab objectionibus Iodoc. Heron. Nunningii vindicata.
21. Sam. Florentis Reuini Diss. de præfessoribus veteris ecclesiæ martyribus.
22. Gottlieb Wernsdorffii Diss. de constitutionum apostolicarum origine, contra Guil. Whistonum.
23. Io. Iust. Spier Diss. qua testimonia patrum V. primorum seculorum de Pauli apostoli itinere in Hispaniam coniecto labefactantur.
24. Alexand. Politi Oratio de litterarum Græcarum necessitate.
25. Adv. Stegeri Diss. de infule sacre dignitatis insignibus.
26. Iac. Perizonii Diss. de rebus atque incrementis Prusiorum.
27. Io. Iac. Weidleri Diss. de sacramentalibus.
28. Io. Iac. Syrbi Sententia theologorum nstratum de determinata futurorum contingentium veritate adserta.
29. Erh. Reuschii Diss. de episcopo patre spiritali.
30. Io. Georg. Walchii Diss. de episcopo patre spiritali.
31. Io. Georg. Walchii Diss. de variis theologiam tradendi modis.
32. Eiusd. Diss. de variis theologiam tradendi modis.
33. — Historia transubstantiationis pontificia.
34. — Diss. de formulis salutandi apostolicis.
35. — Diss. de formulis salutandi apostolicis.
36. Henr. Klauingii Diss. de eodem argumento.
37. Frid. Iac. Trünhaberi Diss. de eodem argumento.

14. 76

IOAN. GOTTLOB GVTTLERI
KIRSAVIA-LVSATI
COMMENTATIO
DE
LECTIONE
MONIMENTORVM
GRAECORVM LATINORVMQVE
ACROAMATICA
ET
EIVS IN PRIMIS DIGNITATE.



L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
M DCC XXXVIII.



IOAN. GOTTLIB. GUTTLERI

DISAVIA-LVSTATI

COMMENTATIO

DE

LECTIONE

MONIMENTORVM

GRAECORVM LATINORVMQVE

ACROAMATICA

ET

FIVE IN RINIS DIGNITATE



LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENSIS

MDCCLXXIII



VIR
ILLVSTRISSIMO ET EXCEL
LENTISSIMO

OTTONI GVILIELMO
BODENHAVSENIO

DYNASTAE CLIENTELARVM HAEREDITA
RIARVM BRANDISII RADISII WVLFINGE
RODAE ET SOLSTADII

RELIQVA

POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS
ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE PRAEFE-
CTVRARVM IN POSSESSIONE LIPSIENSI PRAEFE-
CTO MERITISSIMO CVRIAE PROVINCIALIS QVAE
IN ARCE WITTEBERGENSI IVS DICIT ASSESSORI
GRAVISSIMO GYMNASII PROPTER MVLDAM
ILLVSTRIS INSPECTORI DIGNISSIMO

ET SVA

ET MAIORVM GLORIA INCLVTO

S. E. I.

DEVOTISSIMVS CLIENS

IOANNES GOTTLOB GVTTLERVS.

VIR
ILLVSTRISIME ET EXCELLENTISIME.

OTTO NI GALLIELMO
BODENHAVSENIO



*Vidni Illuſtri TVO nomine
ſuum quodcunqꝛ eſt libel-
li, illuminari cuperet bo-
mo umbraticus et parum
cognitus. Et ecce, quod
optat, pace TVA fore
confidit. Non auferem tanta ſperare, ſi TE
noſſem unum ex multis, qui generis antiquita-
te freti, fumofis maiorum imaginibus glo-
riantes, antiquas negligunt literas, ac pri-
ſca ſapientiae monimenta, cum iis, qui ea co-
lunt, alto deſpiciunt ſupercilio. Ex TE no-
bilitari, non ex iis uis, qui mortui ſunt, quo-
rum tamen nomen et rerum geſtarum gloriam,
non tuendam modo, ſed augendam cenſes, ut FI-
LIIſ relinquo non ſolum, quo gloriantur,
uerum*

uerum etiam quod imitentur uirtutis studium,
laudemque per TE partam immortalem. Ne-
mo unquam magnus fuit sine literis, quae ipsae
immortales sunt, et si quem dignum putant,
immortalitati commendant. Merito Achil-
lem beatum iudicauit Alexander, qui laudis
suae buccinatorem nactus sit Homerum, et quis
Alexandrum, maxima orbis terrarum parte
deuicta, uere magnum, adhuc nosset, nisi tan-
tum nomen Arrianus, Curtius alique ab in-
teritu, et obliuione hominum uindicassent. Adeo
uerum est, quod canit Flaccus.

*Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia uate sacro.*

Magna igitur TVA, VIR ILLVSTRIS-
SIME et EXCELLENTISSIME, at-
que ad immortalitatem insignis gloria est, quod
et literas amas, et literarum cultores non con-
temnis, sed iis faues, eosque libenter prouebis.
Quantum TIBI debeant Musae quarum sedes
propter Muldam est, ipsae praedicent. TE
certe literarum Patronum celebrant complu-
res, nec infimae dignitatis uiri, quos commen-
datione, stipendiis, et opibus TVIS iuisti, at-
que ad TE, tanquam in portum confugientes,
in tuto collocasti. Ego uero mirifico flagrans

literarum amore, earumque studio concitatus
gratias habeo Summo Numini maximas, cuius
providentia in aedes TVAS uenerim, in quibus
liberalissime habito et cum dignitate degenti
quicquid ex eo superest temporis, quod FILIIS,
paternae laudis haeredibus, instituendis impen-
do, in literis consumere licet. TIBI igitur pri-
mus hic studiorum meorum fructus debetur et
qui forsan maturiores edentur omnes, in pri-
mis quod mihi patent libri TVI, quorum appa-
raturum possides haud quaquam contemnendum.
Deum imploro T. O. M. ut tantam animi ma-
gnitudinem, moderationem, constantiam, qua-
rum in TE uirtutum luctuosissimo ac turbu-
lentissimo tempore me tanquam spectatorem ad-
duxit, iis afficiat praemiis, eoque cobonestet
honore, quibus affici, quoque cobonestari me-
rentur. Vt FILII, in spem TVAM, GENTIS
ILLVSTRISSIMAE imo rei publicae succrescen-
tes, in parentis exemplo uideant, non genero-
sum dici, sed animum habere generosis innu-
tritum cogitationibus ueram esse nobilitatem.
Floreat DOMVS BODENHAUSENIANA ILLV-
STRISSIMA iis uirtutibus, quibus fundata ac
stabilita floruit semper, pietate, honesti recti-
que studio, eloquentiae diuinitate ac literarum
amore. Vale. Brandisii pridie Idus Mar-
tias A. R. O. c. l. s. l. c. c. XXXVIIII.

DE



DE
LECTIONE MONIMEN
TORVM GRAECORVM LATINO
RVMOVE ACROAMATICA ET EIUS
IN PRIMIS DIGNITATE.

Archimedis, Syracufani, in ipsis interemti
circulis, monumentum, in tumulo posi-
tum, a suis ignoratum ciuibus, septum
undique ac uestitum uepribus et du-
metis, falce immiffa, purgatum, aperuit
M. Tullius Cicero. Cuius ipfius et re-
liqua prifcae fapientiae monimenta, iam
delitefcunt in umbra, puerorum teruntur manibus, et abie-
cta fere cum praetexta, inculta iacent et ingloria. Sordent
hominibus elegantibus, ufufque uitae perpolitais, despi-
ciuntur a philofophis, ignorantur a plurimis. Quid cauffae
fit, fi quaeris, res eft in promptu. Qui legunt, non intelli-
gunt, qui fibi intelligere uidentur, negligunt, aut fi legunt,
praeiu-
Tufcul.
quaest. L.V.

VIII

praeiudicatarum morbo opinionum, qui late grassatur, correpti, quid in eis diuinum, quid sapienter cogitatum prudenterque expositum, quid ad sapientiae facultates lautius instruendas, omnemque conformandam uitam, accommodatum sit, non assequuntur.

Est tamen aliquid in ueterum tabulis, ex tanto antiquitatis naufragio non sine Numinis prouidentia seruatis, suoque restitutus nitore, quod a sensibus abhorrens parum curiosorum supinorumque, se sponte iis dat, qui ipsas diligentius expendentes, non cultu quodam externo, sed naturali sua et interiore metiuntur praestantia. Est aliquid, quod aciem mentis, in contemplatione defixam, perstringit, quod sensum tamen paulatimque ex se ipso euolutum, animos considerantium tenet erectos, et postquam in amorem sui pellexit, retinet ratione et consilio firmatos.

Id ipsum, si quis in antiquis Graecorum Latinorumque uoluminibus abstrusum perspexit, rem sane haut leuis momenti, non lectione uulgari minusque erudita, sed accurata illa et prudentiore, quam Acroamaticam dicimus, est consecutus.

Haec, uelamine detracto, ipsos antiquitatis eruditae, quibus se mouet, neruos artusque ostendit. Haec non frontem ueterum Sapientum inspexisse contenta, * ipsum pectus aperit. Haec putaminibus, aliis derodenda relictis, priscae doctrinae nucleo delectatur. Haec denique, quicquid in quocunque genere diuinum, quicquid utile sit, suis ponderatum momenti, sola perspicit, perspectumque tradit.

* Augustinus, Antistes Hipponensis, confess. l. VIII, c. IV. scribit, *Ciceronis LINGVAM omnes fere mirari, PECTVS non item.* Quod quidem pectus Tullianum aperire Io. Guilielmus Bergerus, uir illustris, et academiae Vitebergensis insigne decus, uti quondam in commentationibus suis cepit, uel solus uel profecto cum paucis potest. Idem spegasse uidetur Melchior de la Cerda, libro, quem inscripsit, *medullam Tullianae sapientiae*, nec parum debemus

mus *Andreas Sebott*, qui *notos* solvere *Ciceronianos* quatuor libris conatus est. *Scavilli Maximi* librum de *singularibus Ciceronis*, bis a *Charisio* laudatum, interiisse dolemus, quo tamen plura ad linguam quam pectus *Ciceronis* cognoscendum, tradita fuisse, coniectura non plane nulla ducor ad suspicandum. Iniuria sit homini in primis magno, qui a puero adamarat, αἰεὶ ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ep. V. ad άλλων, si quis omnem eius praestantiam lingua metiatur, nec illam tamen ullus assequetur, nisi linguam habeat accurate et familiariter cognitam. Insulsum igitur genus hominum *Ciceronianorum*, qui solam *Ciceronis* linguam mirati, solam imitati, ne micam quidem *Tulliani* in scriptis suis ostendunt. Quos false risit *Desiderius Erasmus*, ita tamen, ut, quum nihil inuenerit sapientiae in *Ciceronianis*, in ipso *Cicerone* tantum esse subdubitare uisus sit, quantum deinde, aetate prouectum, et acriore usum iudicio, se se reperisse ipse fatetur in praefat. quaest. *Tusculan.* a se editarum. *Certe nunquam inquit, mihi magis placuit Cicero, quam nunc placuit seni, non tantum ob diuinam orationis felicitatem, sed etiam ob peioris eruditi sanctimoniam.*

Digna igitur res uisa est, de qua in praesentia, cum aliquid foras dare constituerim, capitularim exponam, uberius autem pertractandam iis relinquam, qui non iisdem, quibus ego, circumscripti terminis in patentissimo campo se liberius iactare, ac latius exspatiari possunt.

Habebant uetusti sapientiae in Graecia magistri *scholas Exotericas*, quibus prohibebant neminem, habebant etiam, quae paucis patebant, *Acroamaticas*. In illis externam quasi sapientiae formam, in tabula depictam, ostendebant eminus, in his uero, propius admissis, ipsam, eiusdemque, argumentis ex ipsis doctrinae suae tanquam uisceribus petitis, aperiebant mysteria. Quicumque ergo in scholis *Acroamaticis* erant eruditi, interiorum habere cognitionem rei putabantur, quam reliqui in scholis *Exotericis* tantum a limine salutasse perhibebantur.

A. *Gellius* quidem de uno commemorat *Aristotele*, commentationum suarum artiumque, quas discipulis tradiderit, duas eum habuisse species. *Alia erant*, inquit, *quae nominabat ἀξαρτεμὰ*, alia, quae appellabat ἀνεπισμητὰ. At consuetudini philosophorum

B

ueteri,

quæteri, noua imposuisse nomina uidetur Alexandri regis magister. Complures enim semper etiam ante Aristotelem doctuerunt philosophi, haut ita multos tamen in disciplinam receperunt. Quos etiam Aristoteles secutus, ad commentationes ἀκροαματικὰς, non quemquam temere admittebat, nisi quorum ante ingenium et eruditionis elementa, atque in discendo studium laboremque explorasset. Pythagoram, Crotonae in Magna Graecia, incredibilem auditorum multitudine florentem, feminas quoque docuisse ex Trogo narrat Iustinus. At tamen ex Diogene Laertio, Porphyrio et Iamblichio, uita Pythagoricae scriptoribus, claret, eum etiam discipulos habuisse, quos ut accuratius instituerit, ita seuerioribus adstrictos legibus, in quibus ἐχρημῶδια seu silentium quinquennale, aliquando contractum ad biennium, ab reliquis auditoribus separauerit. Quibus praecepta in primis frugalitatis et uitae honestae communia in templo tradebat. Ipse Gellius disciplinam Pythagoricam describit L. I. c. IX. Et Cicero Cottam ad Velleium ita facit loquentem. Neque tu me uicelas, ut Pythagoras solebat alienos, nec consulto dicis occulte, tanquam Heraclitus, de N. D. L. I.

III. di. X
hs V. q. 1
si an. 10

L. XX.
c. IV.

Cic. de
finib.
L. V.

Hinc Aristotelis et dicendi grauis magistri et philosophiae haut quaquam spernendi auctoris, duo sunt genera librorum, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabat, alterum limatius, scholis suis Acroamaticis dignum nec * cognoscendum cuique. Lectorem igitur requirit, non minus intelligentem quam diligentem, acutum, cautum, in exquirendo uero, eoque, quod in quocunque genere est optimum, perspicendo, quin imo in indagando scriptoris consilio, probe exercitatum. **

Gellius
L. XX.
c. IV.

JA. P. 10
XXIII. 10
VI. 5

* Grauius igitur tulit, cum audiisset Alexander, Aristotelem disciplinas, quibus ab eo ipse eruditus foret, libris foras editis, inuulgasse, idque literis ex Asia ad eum missis significauit, quibus respondit Aristoteles. Ἰσθι ἀκροαματικούς λόγους καὶ δεδομένους καὶ μὴ ἐκδομένους. Ἐν τοῖς γὰρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούοισι. ** Ad has etiam commentationes Acroamaticas referri posse uidentur, illud Ciceronis instituendi genus paulo eruditius et θετικώτερον, quam Poëonii, rhetoris, cuius summo studio erat. Quinti, fratris, filius, quo ipso se clamores effecturum confidit, si puerum secum habuerit

buerit otiosus. Solebant enim, principes in Vrbe uiri, et domi
 suae instituere, et secedentes interdum in praedia sua suburbana aut
 rustica, secum ducere adolescentes, qui suis interessent disputatio-
 nibus. Ex his tanquam ex scholis Acroamaticis existebant homi-
 nes, ad rem domi forisque gerendam apti, ac rei publicae utilissi-
 mi. Hinc ex persona Catonis Cicero, *quid est*, inquit, *incundius de senecta-
 senectute, stipata studiis iuuenturis.* Anne eas quidem uireis *senec- te cap. IX.*
*cluti relinquemus, ut adolescentulos doceat, instruat, ad omne officii
 munus instruat, quo quidem opere, quid potest esse praeclarius.* Mibi
 uero, pergit, *Cn. et P. Scipiones et L. Aemilius et P. Africanus comi-
 taru nobilium iuuenum, fortunati uidebantur.* Ipse Tullius, sumta ui-
 rili toga, a patre ad Qu. Mutium Scaeuolam erat deductus, a quo
 multa prudenter disputata, etiam breuiter et commode dicta, mem-
 oriae sese mandasse, fierique studuisse eius prudentia doctiorem,
 memorat in libro de amicitia Cap. I. Quae quidem proficiendi
 ratio num nostris hominibus, sine ullo rei publicae detrimento, ere-
 pta sit, alii sententiam dicant.

Ceterum nondum me legisse, memini, quare Aristoteles commen-
 tationes Acroamaticas hoc potissimum nomine insigniuerit. For-
 sitan, quia philosophia remotior subtiliorque, quae in iis tradeba-
 tur, non aliter quam attenta maxime auditione percipiatur. Prae-
 bebant igitur discipuli, ut Horatius loquitur, *aures patientes*, conti-
 nentem magistri orationem, qui dialectica ratione et *ἀποδεικτικῶν* age-
 bat, nihil ipsi interpellantes. Ideo matutinum quoque tempus huic
 disciplinae in Lyceo exercendae, dedisse philosophus uiderur, quo
 animus, somno tanquam recreatus, magis uigere, et a corpore neque
 laboribus defatigato, neque cibo, uinoque onusto, minus impediri
 creditur. Contra ea exotericas scholas, quibus vulgo iuuenes do-
 cebat, sine delectu, uesperii habebat, unde etiam *δελτιὸς πηλείωνος*
τρος, nominatae. Certe, *τὸ ἀκροᾶσθαι*, non de quibusuis audienti-
 bus dicitur, sed de iis potissimum, qui attente, qui discendi causa,
 qui ita audiunt, ut auditis obtemperent, quam uim etiam Latino-
 rum aufcultare habere, omnes norunt harum rerum non imperiti.

Et profecto, uti Socrates, parens philosophiae ac reliquo-
 rum in Graecia philosophorum fons, * *εἴρων* dictus, est, id est,
 teste Tullio, in omni oratione dissimulatio, ita in cunctis fere
 Graiorum monumentis dissimulantiae huius Socraticae uesti-
 gia

gia cernas impressa. Veram interdum primum sententiam, occultant artem. Quam nisi eruas, nisi ex latebris eductam, in luce sua contemplandam, ponas, frustra laboras in evolvendis nominum involucribus, frustra in commendandis loquendis tanquam ueneribus occuparis, frustra in explicandis ueterum ritibus haeres, quid uerum sit, quid excellens, quid utile, parum perspicies.

Handl.
XI. 933

De oratore
L. II.

Vid. Cic. offic. L. I. Academ. quaest. L. IV. item de natura Deorum L. I. ubi eandem ob causam *seurram* quoque *Atticum* uocatum fuisse, docemur. Non immerito ipsam Socratis uitam Fabius *Ironiam* appellat. Lusit enim Deos patrios, lusit ciues suos, lusit se ipse, lusit denique iudices. Quod postremum nisi fecisset, et interrogatus, quam poenae aestimationem se commeruisset confiteretur, se se meruisse, respondisset, ut summis affectus honoribus in Prytaneo, publico sumtu aleretur, capitis fortasse absolutus esset. Sed sit hoc, ut cum plerisque omnibus Cicero existimat, inuicti animi documentum, quo supplex esse iudicibus nimirum iniustus noluit. Cum autem, in Phaedone Platonis, gallum se Aesculapio debere, dicit, nescio, num et hoc uerbo, iam moriturus, more suo ludat. Omnino uideatur Dresigii V. C. diss. de Socrate iuste damnato, quae non utilitaria habet. Africanum Aemilianum, L. Pauli, qui Perfen uicit filium, a Fannio in annalibus, pari ratione *εἰρωνία* appellari, itidem a Cicerone accepimus. Quintiliano *εἰρωνία* est, agens imperitum, et admirator aliorum tanquam sapientium. Institut. orator. L. IX. Idem comprobat locus Ciceronis, epist. IV. L. III. ad Quint. fr. Afferit Tullius rationes, quare uersus non scribat, quos sibi scribi Quintus frater uolebat. Tempus sibi et animum uacuum ab omni cura, etiam *εἰρωνίαν* deesse, *simul et illud*, inquit, *sine ulla mehercule ironia loquor, tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi.* Non simulat igitur laude poetica se fratri secundum esse, sed sine ironia i. e. uere, ex animi sententia Quintum meliorem poetam uocat, quam se. Et sane non optimum fuisse poetam, licet summus fuerit orator Marcus, eius quicquid est, quod superest, uersum, testatur.

Minime hoc loco praetereundum duco, quod philosophiae Latino cultu ornatae, inque Latio constitutae, auctor

et

et princeps de finibus l. V. peritos monet, non esse ullam in summa ipsa, sententiarum uarietatem aut inter sentientes ipsos dissensionem, licet ob duo scriptorum genera *ἑξωτερικόν* et *ἀκροαματικόν*, non semper idem dicere uideantur. Nec aliter res se habet. Libri populariter scripti, id est, exoterici, si quem nacti sunt lectorem, qui, ut ita dicam, eos acroamatice legit, idem se tradere, euincunt, quod in altero scriptorum genere, Acroamatice, subtilius quaesitum, argumentis suffultum suis ac corroboratum, fontibus caussisque demonstratis, accuratius est expositum, et tanquam politius limatum. Atque de lectione Acroamatice, unde nomen inuenerit, hactenus.

Eandem nimirum animi attentionem ad legendos ueterum libros afferamus, oportet, quae quondam, ad audiendas philosophorum commentationes Acroamatice, afferri solebat, si, quod in illis non cuius inuestigare datum est, legendo assequi cupimus.

Nunc de re ipsa, quid mihi uideatur, dispiciendum. Est mihi uero lectio Acroamatice, facultas seu firma facilitas, crebro et prudenti usu, comparata, in quocumque antiquorum scriptorum genere * *τὸ θεῖον*, id quod in eo diuinum, et * * *τὸ πρακτικόν*, id quod utile, perficiendi.

* Liceat mihi more Graecorum Latinorumque ita appellare, quod in suo genere perfectum, quodque admiratione dignum est, patria tamen lingua non temere per *Göttlich* exprimendum. Illorum autem sermone tritum esse, nisi harum literarum expertem et plane *ἀμύμον*, fugere potest neminem. Praestantissimam enim deorum naturam credebant, cuius si quaedam in homine conspiciabant uestigia, id singulari Dei cuiuspiam munere fieri, quo ille diis similio, quam hominibus, supra mortalem conditionem eueheretur. Eadem uoce res quoque designabant inanimas, inusitata quadam magnitudine, uel specie admirabili, conspicuas, opera in primis ingenio et arte perfecta. Quicquid denique, oculos aut studia hominum in se conuertebat, tanquam diuinae aut beneficentiae, aut sapientiae, aut potentiae, imo ne iis quidem exceptis, quae terrorem incutiebant, tanquam Dei grauius indignantis iudicium, diuinum nominabant. Etenim magnam uim, quam se plurimis et le-

ctissimis

diffimis uerbis complecti posse diffidebant, uno hoc, uel paucissimis a deorum natura petitis, commode exprimi existimabant. Hinc Homeri heroes omnes diuini, et diuinae genus, ubique enim magnis nominibus haec uideas adiecta epitheta. *θεός, δίας, θεσκέλος, θεός επιέκλος, αντίθεός, θεός ενάλιγχιος, διογενής, ἕξος Αρηος, Ζηός υπερθύμοιο λαχών ἀριδέμετον αἶμα. Διὸ μῆτιν ἀτάλαντος* cet. Longinus quidem merito in hoc uate reprehendit, qui et alias ipse diuinus perhibetur, quod, dum modo suos heroas, *οἱ ὅπ' Ἴλιον ἤλαθον*, deos efficeret, non curet, sua fingendi libidine, deos ipsos mortales, imo mortalibus inferiores fieri. Idem poeta ingentes diuitias, *θεσπέσιον πλοῦντον* dicit, ut pote diuinum munus, in quo maxime dei beneficentia eluceat, de cuiusmodi muneribus *Ἀλέξανδρος θεοεδής* (Paris) ait,

Ουτε ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρμυδία δῶρα,
οσσα κεν αὐτοῖ δῶσιν.

Huc refero, quod Theognes egregia carmina *ἀγλαὰ μουσῶν δῶρα* dicat, quae Pindaro sunt *γλυκὺς κερπὸς Φρονῶν*. Nulla enim bona mens, teste Seneca, sine Deo, nec, *si qua elegidia crudi dictarunt*

Sat. I.

proceres, ut ait Persius, in horum ueniunt numerum, quia nihil in eis diuinum. Graecos secutus Tullius, L. Crassum, ob summam eloquentiam, *Deum in dicendo* appellat, et testatur, Theophrastum a *diuinitate loquendi* nomen inuenisse. Menalcas Virgilianus, pocula fagina, quae pignus deponit, quo cum Damoeta ceteret, *caelatum uocat* **D** **I** **V** **I** **N** **I** **o** **p** **u** **s** **A** **l** **c** **i** **m** **e** **d** **o** **n** **t** **i** **s**, ob mirum artificium, diuini ingenii documentum. Vnde etiam diuinitatem hominis, id est, excellentem naturam, et doctrinam, cognoscas, nisi ex operibus in illiusri positis loco. Sed quod *θεῶν* appellari merebatur, Graecis etiam *ιερόν*, sacrum, dicitur, quippe quod, a Deo profectum, mala lingua uiolare ne audeat. Sic *ιερόν μένος Ἀλκινόοιο*, diuina uis Alcinoi, siue rectius, diuinus Alcinous ipse (conferatur haecce loquendi ratio, cum similibus, *βίη Ηρακλήειη*, Hercules, *σθένος Ἰδομεύηος*, Idomeneus ipse uterque ualidus et fortis, sic *ψυχή Ἐλένου*, ipse Helenus, adhuc in uiuis degens, in Euripide, quod non animaduertit Scholiastes et hinc lapsus est. Vid. Gisbertus Cuperus, obseruat. L. I. cap. XX) *Τροίης ἱερόν πτολίεθρον*, apud Homerum, *ιερόν εἶδος*, apud Theocritum, *ιερά νόσος*, apud Medicos. Nam uiti putat Homerus.

Eclog. III.

Odyss. IV.

Ζεὺς ἀγαθόντε κακόντε διδοί, δυναταί γάρ ἄπαντες.

Magna

Magna sane et propria quaedam uis in epithetis poetarum Graecorum est, ut paucissimis multa dicant, quae accuratius inuestigare, operae fortasse foret pretium. *ἡ δὲ πόλις ἡ πόλις ἀνθρώπων*

* * Sicuti *πραγματὰ* eae res eximia dicuntur, quibus gerendis rei publicae administratio continetur, ita *τὸ πραγματικόν* notat, quicquid ad res in ciuitate gerendas, pertinet. Cum enim nemo quisquam sit, qui non in aliqua republica uiuat, quam iuuare, rueri, ornare, lege, ab ipsa sancita natura, tenetur, eam igitur quisque ineat studiorum rationem, eo animi aciem ac neruos intendat, ut quod ad munera in re publica obeunda, appositum sit, id perspiciat et consequatur. Nam uera cuiuscunque rei utilitas usu rei publicae metitur, nec, te didicisse quicquam, cogitato, nisi, quo in publicum consulas, didiceris. Hinc Cicero homines in negotiis rei publicae uoluntatos, *pragmaticos* uocat, quorum sit cauere nec temere credere, L. II. ep. XX. ad Atticum, rem ipsam, in ciuitate gestam, aut ad eam spectantem, *πραγματικόν*, quod populi *ἐπιουσία* et minorum dictis opponit l. XIV. ep. III. Aliud genus *hominum pragmaticorum* uideas apud eundem, de oratore l. I. qui in Graecia instruebant causas, quas oratores pronuntiarent, tela quasi subministrantes, quae ab huic torquerentur. Athenis quidem id uile erat, quia mercedula adductum, Romae uero amplissimum, quoniam de iure respondere consulentibus, amplissimus quisque et clarissimus uir a dignitate sua non alienum ponebat. *Senectuti uero celebrandae et ornandae*, inquit Tullius, *quod honestius potest esse per fugium, quam iuris interpretatio.* Quid quaeris, domum iuris consulti idem *oraculum*, censet, *rotius ciuitatis.* Si quis itaque ex ueterum libris praeter dicendi formulas nihil hausit, assert ille quidem ad rem publicam capeendam uerborum copiam, res uero, quas pronunciet, ab aliis petat, necesse habet.

Si, quod a scriptore sapienter cogitarum, prudenterque scripto expressum, cognoueris, id tenes, quod in eo *diuinum* perhibeo, uis atque perceptis iis rebus, quae ad usum rei publicae, immo ad omnem uitam, accommodata, persequaris, habes, quod *utile* appellandum putauit. Paulo altius res est repetenda, et filo subtiliore texenda oratio. Quicumque scribit, id agit, certe agere debet, ut animi sui sensa cogitataque de re, quam scribit, aperiat aliis. Ad id, ut faciat,

ciat, causarum, quae impellunt, magna est uarietas, nec non plures unius rei fines. Cogitando igitur rem ita informans, ut omnibus, quos habet sibi propositos, finibus, arctiore inuicem uinculo copulatis, uiam uideat, eamque tutam, qua ad id, ad quod maxime impellitur, peruenitur, is ad scribendum affert sapientiam, solertemque cogitandi rationem. Qui denique in uia sapienter inuenta, uestigio haut fallente, donec rem contingat sibi propositam, expedite, sed caute tamen, procedit, is suam probatam dedit prudentiam.

Horat. de arte poet.

Scribendi recte sapere est et principium et fons,

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae.

Verbaque prouisam rem non inuita sequentur.

Cic. de claris oratoribus. Dicere bene nemo potest (addo, nec scribere) nisi qui prudenter intelligit (non solum rem ipsam, quam dicit aut scribit, sed etiam rationem, qua dicat scribatue.) Quare, qui eloquentiae uerae dat operam, dat prudentiae, qua ne maximis quidem in bellis aequo animo carere possimus.

Sapientiam ac prudentiam saepe confundunt antiqui scriptores. Recte sapere, qui librum scribit, uidetur, qui ante quam scribit, prospicit, quid scribat, et quale id sit, cognitum habet et iudicatum. Deinde cur scribat, secum cogitat, tum quomodo scribat, postremo cur sic scribat, nec aliter, et si aliter scribat, quid inde euenturum sit, praeuidet. Huc accedat prudentia, necesse est, qua sapienter inuentis rationibus, recte utatur. Sic sapere quis potest sine prudentia. Rem habet animo comprehensam et diu multumque cogitatam, in eius tamen tractatione haeret subinde, offendit, labitur, et quid sciat, ut alii sciant, efficere nequit. En tibi genus sapientum umbraticorum, qui ita domi latent, ut in publicum prodire nolint, sic se abdunt in literas, ut lucem et coetus hominum fugiant. Aristoteles l. VI. Ethic. de discrimine sapientiae et prudentiae quamuis paullulum aliter disputare uideatur, non admodum tamen ipsum me cum pugnare mihi persuadeo. Sed uereor, ne me induam in laqueos, quos explicandi nihil hic datur loci.

Apparet igitur, ex uerbis libro comprehensis, de ipsis auctoris cogitatis esse statuendum. Num * uere, num acute,

te, num distincte, num ordine adhibito et ratione, num libere nullis perturbatus animi commotionibus, num satis, cogitandi laboris non pertaesus, num sumto ad cogitandum spatio, accurate, num ** cum multis, qui quid cogitent in circulis et triuio declarant, an tanquam unus inter multos prope singularis, excellenter cogitauerit.

* Dominicus Bohursius, homo Gallus, in libello, quem sua inscripsit lingua, *la maniere de bien penser dans les ouvrages d'Esprit*, id est de excellentibus sententiis dialogo I, primam ponit uirtutem et tanquam fundamentum omnium sententiarum siue sapienter cogitatorum, *ueritatem*. Praeclare, ut cetera, politissimus scriptor, qui de diuinitate cuiuscunque auctoris, ueterum in primis, recte iudicandi fontes et uiam monstrat. In omni etiam fictione, quae tandem cunque sit, suprema mihi lex uidetur. *Aut uera fingito, aut ueri certe similia, nec quidquam ita falsum fiet, quod non habeat aliquid ueri admixtum, et si non est, esse tamen possit.* Quod in Plauti Mostellaria legitur, *non uestem amatores mulieris amare, sed uestis furtum*, id hic quoque locum habet, ut homines docti, nisi externo cultu uestitam, et rectam interdum ac personatam, uelis remotis, detractaque persona, inueniant ueritatem, magnam rideant speciem, quae cerebrum non habet, et stramineum simulacrum cum ipsis abiiciant uestibus. Nemo certe stipitem detractis spoliis tropaeum putat. Sic usu uenire solet, ut non solum quam ingeniose, sed etiam quam uere cogitaueris, ratio sit reddenda. Hinc Deorum immortalium uulnera in Homeri Iliade conspiciens, excellentis alias poetae, et abundantis ingenio, cum Longino, aliisque, desidero iudicium, nec capio quid sit

ἀμβροτον ἀίμα θεῶν,

Iliad. I. V.

Ἰχθῆρ, οἷος πέρ τε πέρι μακάρεσσιν θεῶν.
 Οὐ γὰρ εἶπὼν ἔδουτ', εἰ πίνουσ' ἀΐθρατα χθονί.
 Τοῦνετ' ἀναιμόνες εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέοντα.

Profecto hic magnus Homerus, dormitando, somniauit. Multo minus intelligere possum, quid sibi uelit Παιήων, ὁ τῶν θεῶν ἰατρός, deorum immortalium medicus. Si immortales sunt, non egent medico, et si mortales sunt, egent quidem medico, sed non dii sunt, quibus semper immortalitatem tribuit. Ipse uiderit Homerus, ego in his nihil ueri, nihil diuini uideo. At tamen eiusmodi

XVIII

di somnia tolerabiliora uidentur in poeta, quam in philosopho, Epicuro nimirum, qui negat esse corpus deorum, sed quasi corpus dicit, nec sanguinem putat, sed quasi sanguinem, sane, mi Epicure, haec nugae sunt, non quasi nugae, nec te philosophum censeo, sed quasi philosophum, quem a Cicerone iam mire exagitatam uulneratumque dimitto.

De N. D.
I. I.

** Multa sunt, quae satis consuetudine trita, neminem latent, quae tamen nouo induta habitu, noua uidentur, et admiratione occupant animos. Exempla uide cum re latius exposita in Bohurfii libelli, quem modo laudauimus, dialogo II. Omnino conferantur eiusdem auctoris, pensées ingenieuses des Anciens et Modernes, nec non acute dicta ueterum a Brietio, itidem Gallo, collecta. Sunt enim acute dicta fructus acute cogitandi praestantiae.

Miserum est, cum uerae cogitandi rationis ignarus, quid ipse sentias, non habeas, ex aliorum sententiis undique collatis, et quasi alleuatis cumulo, confarcinatum scripto exprimere centonem, magnis superbire nominibus, praeter seruilem conscribendi laborem, nihil afferre proprium. Quod quidem hodie in tanta scribentium multitudine usu uenire solet, in prisca ingeniorum monumentis non ita obuium.

In ipsa antiquitate aliquod ponendum esse momentum, uel exinde manifestum est, quod quondam in tanta librorum paucitate, nemo scribere poterat, nisi sua, id est, a se ipso excogitata, nec ullus scribere uolebat, nisi quae latura sint aetatem. Retro igitur pedem agens, quo longius procedis, eo propius a fontibus, id est, ingenii diuinitate et praeclare cogitandi uis, tandemque ibi confites, ubi ulterior non detur processus. Hic haurias, quaeso, et inuenies, quam omnes fere riuuli sint, inquinatiores, quo plures ex recentioribus suos iis rigarunt hortulos. Paucis, quid sentiam, indicabo. Quantum antiquorum quisque habebat diligenter cogitatum et ingenio perfectum, tantum poterat, nostrum quantum quisque in collectaneorum commentariis habet constructum, tantum solet afferre. Quod tamen ita dictum nolim, ut non multos uiros grauissimos ex hoc eximendos numero putem.

Modo

Modo igitur commemorato, legendis ueterum scriptis, quid quisque et quam bene cogitauerit, expendenti, non minus considerandum est, num etiam scriptor suorum sibi cogitatorum ubique fuerit conscius, an in diuerticulis nimis diu commorans, sui ipse sit oblitus. Inde apparebit, num sibi semper constans, quam ingressus est uiam, teneat mediam, an se cum, imo interdum cum sua ipsius umbra pugnans, unde iter sit ingressus, et quo tendat, turpiter ignoret.

Odiosum est et hominis nimium sibi arrogantis, ex suo sensu, aliis, quid sentire debeant, tanquam magistratum praescribere, et quum ita morosus sis, ut tibi placeat nemo, te tuaque placere omnibus, postulare. Hinc Academica dicendi scribendique ratio, quae a Socrate inuenta, a Platone frequentata ex Romanis maxime cepit Ciceronem, ut eam ad philosophiam, Latinis tradendam literis, iudicaret aptissimam. Minus etiam habet periculi, nam in utramque partem disputando, et quid probabile sit, non quid certum, exquirendo, suum cuique relinquitur iudicium, ita ut scriptor, quid ipse sentiat, tegat magis, quam prae se ferat.

Sed sagacioribus, et quos ego requiro, lectoribus, facile subolet, in quam partem animi propensione ac iudicii pondere feratur, si animaduertunt, quo in loco haereat diutius, ut appareat, eum etiam lubentius in illo uersari, in quo enarrando, confirmando, propugnando, ornando denique et illustrando, plus sumat operae, maiore agat uim animique contentione. Et profecto nulla simulatio est tam diuturna, ut non aut se ipsa in eodem scripto prodant, aut reliquis auctoris monumentis, cum hoc, quod in manibus est, comparatis, nec non temporibus, quae in uita scriptoris haerent praecipua, in consilium adhibitis, ab acri inuestigatore ex latebris extracta patefiant.

De natura deorum nihil tale sentire Ciceronem, quale eius aetate et philosophi tradebant, et uulgus credebat, ex tertio in primis libro, quem

quem de ea re scripsit, non potest esse obscurum. Hoc enim C. Cottam, Academicum, contra Q. Lucilium Balbum, Stoicum, disputantem inducit, idque ideo facit, ut ipse illius persona rectus, et tutius lateat, et naturam deorum, de qua nos nihil certi habere dicit, ullam esse, si cum Diagora Melio et Theodoro Cyrenaeo non neget, cum Protagora certe, impunius dubitet. At Pontifex erat Cotta, et Tullius ipse Augur. Non decebat igitur *illam*, contra ea disputasse, quae a maioribus de diis immortalibus, de sacris, ceremoniis, religionibus tradita erant, sed potius ea defendisse, nec *tunc*, eiusmodi disputationem, suo comprobata calculo, litteris consignasse. Vide, quam procul uterque ob omni fugit suspicione. *Cotta, ego, inquit, religiones defendam semper, semperque defendi, nec me ex opinione, quam a maioribus accepi, de cultu Deorum immortalium, ullius unquam oratio, aut docti, aut indocti mouebit.* Sed his, quid populus de se Pontifice sentire debeat, non quid ipse de natura deorum et religionibus serio sentiat, ostendit. Cicero autem ne sua uideantur, quae Cotta disputauerat, non huius sed Balbi disputationem *ad ueritatis similitudinem sibi propensorem uideri*, parum curiosus persuadere conatur. Verum Academicorum placita sibi magis probari, quam reliquorum philosophorum, et in Academicis quaestionibus, et in prooemio libri I de natura deorum, et alibi passim ostendit, nec plane ab iis defecisse uidetur, nisi iam senex, paradoxa scribens, quem ultimum edidit librum. Quo tamen potius peruincere studuit, nihil esse tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horridum, tam incultum, qualis est philosophia Stoica, quod non splendescat oratione et tanquam excolatur. Cur hoc loco dissentit ab Academico, cur praefert Stoicum. Ut Augurem, scias, et quid ex institutis collegii sentire debeat, cognoscas, quid autem sentiat, ignores. De diuinatione, libro II. ita differit, ut nullam relinquat, suum tamen cuique iudicium. Quid hoc aliud, quam nullam se credere diuinationem, indicare, neminem tamen cogere, ut secum faciat, nec ut non faciat, quenquam prohibere. Omnes, qui hos libros euoluunt, dissimulantiam callidissimi hominis et disertissimi philosophi, admirabuntur. *Aliud diuinandi genus, prudentiae ciuilis proprium, non superstitionis plebeiae*, affert ep. V. lib. VI. ad famil. Certius quidem id esse, profiteri non audeat, minus tamen habere uel obscuritatis uel erroris confidenter affirmat. Certius negat esse, inde non

nōn efficitur, incertum esse, sed potius aequae certum. Nunc haec collige et inuicem compara, Diuinationo ciuili, aequae certa est, ac diuinationo illa superstitiosa, minus uero habet obscuritatis uel erroris, et sic quam praeferas, constitue. Quam praepoet Cicero, uideo. Diuinationem obscuritatis et erroris plenam et nescio num ob eandem causam, incertam, potissimum cum alia sit his uitis non adeo laborans, quis non merito repudiet incultamque relinquat. Hoc dixisse non uult, certe tamen dixit Tullius.

Sin autem minus, quam perspicax etiam sis, hoc simulandi artificium perspicere potueris, admirabilem agnoscas scriptoris prudentiam. Quae tamen uirtus in omni splendeat dictione.

Hoc non eo ualet, ut existimem, obscuritatem scriptoris, quae uirtutum est, ad prudentiae laudes aspirare posse. Quis Socratem ideo obscurum fuisse dixerit, quia in omni oratione simulator fuit, quid dilucidius, quid illustrius, quid dulcius eo scribendi genere, quo Plato, et ipse simulationis amans, eius disputationes expressit. Iouem sic, aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui.

Oratio, quae artem occultat, quod ipsum summae artis est, minime ob eam causam est obscura. Obscurus est, qui aut plane non intelligi aut difficulter potest, seu, cuius etiam id, quod dicit intelligi nequit, dissimulator uero, cuius id, quod ipse de aliqua re sentit, tantum a prudentioribus, perspicere potest. In illo ualet interdum illud Horatianum, *breuis esse uolo, obscurus fio*. Saepae res ipsa, a scriptore nondum distincte percepta et accurate cogitata est, quid mirum, si eam dilucide aliis tradere non potest, cuius ipse obscuram habet animo informatam notionem. Hauri raro, eius linguae, qua scribit, non satis gnarus, rem utut teneat, propriis et illustribus uerbis, ac lucido quodam ordine collocatis, explicare non ualet. Multum igitur inter simulationis artificium interest, et obscuritatis uitium.

Quicumque cogitata sua cum aliis communicanda ducit, in eo uersatur, ut aut doceat, quod debent * rerum gestarum pronuntiatores, ac sapientiae artiumque praecepta tradentes, aut moueat, quod est in primis ** oratorum, interdum etiam *** poetarum, aut delectet, quod quidem solum spectare ueterum

ueterum sapientum plerique omnes a gravitate sua ac dignitate posuerunt alienum. Docere tamen pariter, et mouere et delectare eodem scripto uoluisse, eorum monimenta declarant.

* Docent in primis historici, cum rebus gestis semper gerendas, et cum euentibus causas copulando. Quid enim iuuat, te scire, quid gestum sit, si nescias cur ita gestum sit, et si parum prudenter, quae ratione melius geri debuerit. Nimirum antiquissima est et optima docendi ratio, si ex exemplis praecepta fiunt, et praecepta exemplis illustrantur. Leges historiae, quas Cicero scribit, si quis non solum affert, ad texendas, quod paucorum est, sed etiam ad legendas, quod omnes eruditi facere debent, historias, facile quid historicus ab historico distet, uidebit. Vid. de oratore l. II. edit. in usum Delphini p. 25. Causas cur plerique historicorum nullius rei minorem quam ueritatis rationem habeant, exquisire tradit Ill. Bergerus diss. qua περὶ ἱστορικῶν eruditorum exagitat p. 41.

** Mouet potissimum orator, iis adhibitis argumentis, quae oratoria uocantur, et quae tanquam nerui orationi uim ac robur conciliant, ad animos auditorum, quocumque uelit, impellendos, et unde uelit, retrahendos. Ex argumentis igitur de omni oratione feratur iudicium, quae si aut neruos non habent, aut cultu destituuntur, languet omnis et friget oratio.

*** Poetae artem arti oratoris, teste Tullio, esse finitimam, norant, qui utrumque tractant. Eadem sane poeta, si mouere cupit, exprimat argumenta, quae orator, non tamen eodem orationis cultu uestita, qui oratoris cum toga praetexta, poetae, cum toga picta aut uestibus Babylonicis forsitan non male comparatur. Vtrique tamen nihil licet contra naturam. Tum demum enim ars est perfecta, cum natura esse uideatur, et contra natura felix, cum occultius iuuatur arte. Maxime autem obseruandum est, quod Latine a Cicerone decorum, Graece *πεπρω* dicitur, de quo omnis in uita officii grauisimus auctor, et uerissime praecepit, et necessarium ab eo officium ducit. Offic. l. I. cap. XXVII. seq. Omnino consulantur Aristoteles, Horatius, et ex recentioribus Boilauius, ex nostratibus Gottschedius, artis poeticae excellentes magistri.

Omnem verae poësis uim in priscais Graecorum et Latinorum carminibus expressam esse, nemo negat, quae uero ea sit, et ubi potissimum inueniatur, ignoratur ab omnibus, qui eam lectione Acroamatica non diligentius inuestigarunt. Hinc saepe poëtae, ut plurimum Graeci, humiles uidentur, ubi excelsi sunt, et clarissimum ingenii lumen, ubi maxime elucet, ibi nullum esse ab iis putatur, qui tantum splendorem non capiunt. Licet plus auri reperiat in Marone, qui totus aureolus est, et aureae aetatis poeta, illud tamen non plane nullum in Ennii stercore immerito negligitur, certe non neglexit disertissimus Romuli nepotum. Tantum abest, ut mihi hoc persuadeat Catullus, epigram. XVI.

Castum esse decet pium poetam

Ipsam, uersiculos nil necesse est,

Qui tum denique habent salem ac leporem,

Si sint molliculi ac parum pudici.

ut potius et pium poetam ipsam et uersiculos castos existimem et pudicos esse debere. Nihilominus tamen auctoritate summorum uirorum et rei ipsius ueritate moueor, ut putem, si quid lusti Anacreon, si Sappho, ex Romanis Catullus, reliqui, amores suos canentes, in eo uirum grauem non plane nihil inuenire, quod prodesse possit, si minus delectare.

Rustica et pastoralis Theocriti musa, quamuis a Fabio non forum modo, uerum etiam urbem reformidare dicatur, mihi tamen, ut ut simplicissima, tam uentusta, tam suauius, tam pulcra uidetur, ut in seuerissimo iudicio stare, nec in urbe repudiari possis, nisi ab rudi et inuenusto formarum spectatore. Eam arte Virgilius, homo non minus grauis quam urbanus familiariter complexus est. Merum rus essem et barbarus homo, nisi uri omnibus, ita eo maxime Idyllio caperer, quod *ἑπιτάφιος Ἀδάμιδος* inscribitur, ualde hebeti utar sensu, nisi uideam, his

Κύπριδι μὲν κελὸν ἔιδος, ὅτε ζώσκει Ἀδάμις,

Κέλθ' ἀνὰ δ' αἰ μόρφαϊ σὺν Ἀδάμιδι Κύπριδος αἰ αἶ.

omnem amoris uim, summam doloris ac molestiae grauitatem, susceptae ex rei amatae iactura, tanquam spiranti imagine duobus uersibus expressam contineri. Omnem hanc fabulam cum iis, qui interiores scrutantur et reconditas literas, si ad physicas rationes accommodare uelis, per me licet, et quam optime hoc quoque modo cuncta quadrent, et rei inanimae uitam et spiritum impertiri, intelli-

Institut.
orator.
L. X, c. I.

XXIV

intelliges. *Liceat, quod Boilavius Gallicis uersibus monet, subiungere.*

Suinez Theocrite et Virgile
Que leurs tendres écrits par les Graces ditez
Ne quittent point vos mains jour et nuit feuilletiez.

Vid. eiusd. artis poeticae Cant II.
De Comicis nihil aliud habeo dicere. Id tamen miror, ex Latinis vulgo Terentium ita amari, ut Plautus a plurimis repudietur. Casce loquitur, inquit. Sed id non suum est, sed temporis uictum. Mihi in mentem uenit, quod Cicero de claris oratoribus differens, eos facere iubet, qui eandem ob causam, sua aetate Cantonem contemnebant. *Antiquior est, inquit, eius sermo, et quaedam horridiora uerba. Ita enim tum loquebantur, respondet Tullius, id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, et aptior sit oratio, ipsa uerba compone, et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem ueteres fecerunt, iam neminem antepones Catoni.* Sic tu etiam, quicumque es, neminem anteferes Plauto, ne Terentium quidem, cuius pauciora supersunt. Dandum aliquid temporis, quo sua scripsit Plautus, dandum licentiae comoediae ueteris, quod ex Terentio emendes, et suadente Horatio, scias Inurbanum lepido seponere dicto.

Post hanc limam, non minus nitebit Plautus, quam Terentius, cuius fabellae propter elegantiam sermonis a Laelio scribi putabantur. Notissima est Danielis Heinsii V. C. dissertatio, ad Horatii de Plauto iudicium. Sed scaeuo Heinsii, ut dicitur, iudicio opposuit apologiam pro Accio Plauto Benedictus Floretus, Italus, laetiae redditam a Iano Pamelio, Middelburgensi. Accipe quaeso, quae Augustus Buchnerus, at quantus uir, ad duos in aula Saxonica principes uiros, scribit: *Plautus sane, si eum admittetis comiter, quod sperat, se exhibebit, ut simul et hilaritate dictorum capiat, et utilissima SAPIENTIA ad amandum inuitet. Enim uero, sic dare Plautus scenae operam, sic ludere solet, ut cum habenas omnes mittere iocis, cum strenue maxime uidetur iocari, mox praeter opinionem serium aliquid AD VITAM, MORES, REM PUBLICAM DENIQUE IPSAM iaciat, ut risus medios inter, mutatis subito partibus, monitorem ex scurra, ex histrione philosophum repraesentet. Videse, his requiri lectionem non uulgarem, sed Acroamaticam, qua*
Sapien-

sapientia auctoris, et ea, quae ad rem publicam, ad officia uitae communis, ad mores hominum pertinent, cognoscantur. Sed miraberis, eandem Plauti lectionem commendari uiris Generosis et in re publica summis, alteri Principis Electoris Saxon. ab interioribus consiliis, in Senatu Ecclesiastico Praesidi et legato, eiusdem Principis Consiliario et itidem Legato alteri. Praemissa est haec epistola Plauti edit. Witteb. cl. Jac. XL. At illis heroicis temporibus, salibus Plautinis delectati, non ualde desiderabant Cornellium aut Mollierium quendam, aut Theatrum Italicum, in quibus si quid falsi est, quod non inficior, uel a scena ueteri est sumtum, uel eius imitatione acquisitum. Quod mihi assentientur, qui dum Graeca legunt et Latina, non negligunt, quodcunque boni ingenii patrum memoria ac nostra aetate in Gallia effloruit uel Italia.

Necesse igitur est, ut uerba, ad id, quod scriptor spectat, adhibeantur accommodata, propria, pura, illustria, sic ex se apta atque inuicem coniuncta, ut auctoris prudentiam imagine, tanquam ex ore expressa, lectoribus repraesentent.

Omnem orationem aedificii similem esse et simulacrum habere arbitror, quod ex singulis lapidibus uniuersum ita constructum est, ut concinna decoraque omnium partium compositione, et tectorio insuper inducto pulchra sit et architecti prudentiam exhibeat contemplandam. Plato ad orationem pulcrum refert, *ἑναρμονίαν, συμμετρίαν, εὐταξίαν*, pariter Hermogenes ad orationem, bene moratam *ἑνάρμονον καὶ συμμετρὸν*, hoc est, concinnitatem omniumque conuenientiam partium, postulat. Omnino uidentur illustri. Bergerus de naturali pulcritudine orationis disserens. Nihil igitur in summo studio proficiunt, quicumque quidem uerba pura, et loquendi formulas elegantes ex optimis quibusuis colligunt auctoribus, sed exaedificationem non curant, et artem ueterum orationis architectorum, singula concinnandi apte iungendi, opere denique tectorio, quod dignitatem habeat, exornandi, plane ignorant. Omnis itaque pulchritudo, omnis dictionis uirtus, in compositione et quasi constructione apta et eleganti, consistit, et ex ruderibus ac ruinis antiquis, sine ueterum arte et regula monstrum excitatur aedificii.

D

Haec

XXVI

Haec de dictione generatim spectata dicta sunt. Quaedam adhuc habeo annotata, quae licet doctis satis nota sint, non tamen praetereunda censeo. Vti Graecorum oratorum succus ille et sanguis incorruptus fuit, ut Cicero ait, usque ad aetatem Demetrii Phalerei, nequi primus fertur inflexisse orationem, eamque mollem et teneram fecisse, ita in Latio naturalis pulcritudo orationis extincto Augusto uix ac ne uix quidem usque ad aetatem L. Annaei Senecae durauit. Hic enim loco recti, gratis, copiosi dicendi generis, quod in aurea aetate ualuit, contum, acutum, praeruptum, quod Ill. Bergerus quoque uocat, praecipuum, amputatumque et argutarum festiuitate sententiarum affluens, inuexit, et auctoritate sua, qua in aula Neronis pollebat, constituit. Est profecto, quantus cunque est Seneca, aculeatus totus et spinosus, ut stoicum possis agnoscere. Plinii autem, maxime Maioris, nimis flores undique collectos amant, qui tamen tractati manibus et accuratius considerati, cum luminibus aureae dictionis comparati, paullatim facefescunt. In his tamen et reliquis, hos imitatis, prudentiam, quae in ipsa scripitione conspicitur, quam sapientiam, quam in cogitandi et intelligendi ui pono, rectius desideres. Habent suas uirtutes, quas ut sequi possis, cautione opus est, ne, quod Quintiliani factum est aetate, uirtutibus relictis, uicia imiteris, et in eandem incurris reprehensionem, in quam I. Lipsius (uid. Henrici Stephani liber de latinitate Lipsii) et cuius dictio uix tolerabilis est, Erycius Puteanus, ac ceteri similis scribendi generis non optimi auctores, inciderunt. (Vid. Erycii Puteani, amoenitates humanae, Comus, consolatio caecitatis cet.) Res non adeo difficilis est, si modo, quod in citiore aetate, attenuatum, concisum et nimis quandoque floridum est, cum ubertate, copia, maturitate Ciceronis, Caesaris, et aequalium diligenter conferas.

De oratore
L. II. p. m.
18.

Nihil est in historia, ut iudicat Tullius, pura et illustri breuitate dulcius. Huius generis palmam in Graecis Thucydides, in Latinis C. Iulius Caesar omnibus praeripuisse uidetur. Ille ita creber est rerum frequentia, ut uerborum prope numerum, sententiarum numero consequatur, ita porro uerbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an uerba

uerba sententiis illustrentur. Huius commentarii, quos scripsit de bello Gallico et ciuili, nudi sunt, reſti et uenusti ornati orationis, tanquam ueste detracta. Sed dum uoluit alios habere parata, unde fumerent, qui uellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui ista uolunt calamitosis inurere, fanos quidem homines a scribendo deterruit. Ipsum Caesar Thucydidem, qui ob breuitatem ex compressione rerum ortam, interdum subobscurus est, breuitate illustri superauit. Vterque igitur, quod cogitauit sapienter, uerbis exposuit prudenter, et hanc dotem, τὸ θεῖον, id quod in utroque diuinum, lectione Acroamatica exquirendum nominaui.

Quantus, quantus tamen quiuis est scriptorum, tantus est, ex illa praeclare cogitandi ui, quae ratione et intelligentia continetur. Hanc intuens ipse, in eaque defixus, ad eius similitudinem et manum et stilum dirigat. Ad eandem, quae literarum monumentis expressa est, contemplandam, cognoscendam penitus et diiudicandam, imitandam denique, si fieri potest, lector omne ingenii acumen, omnes curas uigiliasque conferat. Sic minime quod pueri in faba, ut aiunt, sed quod in quoque scriptorum genere diuinum, inueniet.

Reliquum est, ut uerba faciam de eo, quod πραγματικόν, ex priscae sapientiae penu ad usum uitae depromendum, appellauit. Res est profecto, quae late patet, et fusa per uniuersa uitae genera et officia, in singulis lectione Acroamatica, utilitate sua ac fructu metienda est.

Sed uela contraham, oportet, ne cum litus lego, in altum reiectus, aut rerum multitudine obruar, aut, quod uehementer nolim, ex portu plane excludar. Paucissimis itaque agam, alio loco ac tempore fortasse pluribus.

Τὸ πρᾶγματικόν seu utile est, quod usum uitae iuuat, quod rebus gerendis in quocunq; rei publicae munere, praesidium praestat et adiumentum. Ita igitur ueteres libros euoluat Princeps, in altissimo gradu constitutus, ita eos consulant rerum publicarum rectores, Principisque administri, ita secum habeant imperatores, bellique duces, ita attingant sacris more maiorum procurandis, praefecti, ita legant legum interpretes, medici, peruolent philosophi, dies noctesque uersent artium magistri, ut ex eis tantum percipiant, quantum pro suo quisque in republica loco, dignitate, munere, agendi necessitate, necesse habet. Non enim onerant quemquam literae, praesertim antiquae, sed ornant, ut quicquid agas, non commode modo agas, sed etiam cum dignitate.

Quam ne quidem Principem literae dedeant, rebusque administrandis magnum praesidium, nec leue subsidium, uita reliqua, ex uirtute transigenda, earum studiis et lectione ueterum comparari, optime docet Ioannes Mariana Hispanus sodalitatis Ignatianae, et nobilissimus scriptor, de Rege et Regis institutione L. II. Cap. VI.

Ex lectione igitur Acroamatica apparet, nullam antiquitatis eruditae partem esse infoecundam, nullum in ueteri Graecia ac Latio fundum esse sterilem, cultores nactum affidos et peritos. Quis in Homero, quem antiquitas consecrauit, nostra aetas spernit, Alexandri M. in omnibus expeditionibus suis et uictoriis indiuiduo comite, quidquam quaesierit, tanta Principis maiestate dignum, et ad ea, quae gerebat, appositum. Inuenit tamen maximus regum, demonstratum sibi ab * Aristotele. Modo Achillis Homericus, a quo se genus ducere gloriabatur, solam fortitudinem imitari maluisset, quam eiusdem in ulciscendis hostibus crudelitatem et reliqua uitia, quae efficiebant, ut, teste Curtio, semper bello esset quam post uictoriam clarior.

*Sapient-

* Sapiientissimus Rex Philippus hunc filio doctorem accierat, a quo eodem et agendi praecepta acciperet et loquendi. Sic enim ad eum sua manu scribit. *Ελπίζω αὐτὸν, ὑπὸ οὐ τραφέντα καὶ παιδευθέντα ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς πατριῶν διαδοχῆς.* A. Gellius noct. Attic. L. IX. cap. III.

Quod ad Homerum attinet, sicuti Phidias clypeo Mineruae, ita Homerus Odyss. L. VII. suam inclusisse imaginem uidetur. Fingit *ἑήριον αἰδοῦν*, quem nomine *Δημόδοκον* appellat, in aedibus Alcinoi Phaeacum regis eadem cecinisse, quae ipse in Iliade cecinit. Fingit ipsum Vlysssem ex eo quaesuisse, *ὅσ' ἔρξαντ' ἐπαδόντε καὶ ὅσ' ἐμόγησαν Ἀχαιοί.* Inducit hunc autem eo loco, quo argumentum totius Odyssaeae, narratio nimirum errorum, casuum, ac discriminum Vlyssis, ex Troia domum redeuntis, incipit, ac si haec omnia, quae in Odyssaea narrantur, ex ipso audita essent Vlyssse, ut carminibus suis tanquam fidem conciliet. Quod non exiguum fingendi artificium est. Fingit porro Demodocum, senem fuisse. Homerum autem iam natu grandem Odyssaeam contexuisse, ex ipso scribendi genere demonstrat Longinus. Placidum enim est, et interdum languidum, in narratiunculis, quibus senes delectantur, occupatum, nec quicquam habet illius ardoris, qui in Iliade sentitur, ubi exardescit cum ipso Achille, Aiace, Hector, uehementius, et tanquam afflatu quodam diuino, sine quo Cicero negat, uirum magnum unquam fuisse, concitatus, contentiones, pugnas, proelia non narrare, sed oculis subicere uidetur. Fingit denique illum uatem, oculis captum. Caecum autem fuisse Homerum per uulgata consentientibus fere antiquis, opinio est. Certe nullam uideo rationem ad fidem probabilem, cur illum luminibus priuatum finxerit, nisi se ipsum descriperit. Alius locus, ubi de se ipse loquitur, id confirmat.

ἦιδιτος αἰδοῦν,
Τυφλὸς ἀνὴρ οἰκῆ δὲ Χίω ἐνὶ παιπαλοῦσσι
Τῆ πασαι μετόπισθεν ἀριστέουσιν αἰδοῦν.

Cum Velleio quidem, eum omnibus orbum sensibus censeo, qui Homerum caecum natum putauerit, sed potest per morbum iam aetate prouectus in caecitatem incidisse. Num hoc ab aliis iam animaduersum sit, ego quidem nescio nec curo. Nam in agris uitam degens

Hymno in
 Apollinem, si modo
 do Homeri
 est.

XXX

degens eiusmodi libros ad manus non semper habeo. Hinc quaecunque in omni hoc scripto a me prolata sunt, ex ipsis ueterum monumentis petii, commentariis, a quibus in praesentia instructus non fui, parum consultis. Neque tamen contemno hos libros, neque obrecto laudibus Clarissimorum uirorum, qui in iis conscribendis multum posuerunt opera. Id mihi tamen harum rerum peritū assentientur, eos saepe lectoris studium distringere, ab auctore, ex se ipso aestimando, ad alia uocare, rei, quae sua luce splendet, noctem offundere et lectionem Acroamaticam impedire magis, quam expedire.

Perpicuitas argumentatione eleuatur, et rem, de qua inter omnes conuenit, uere quidem eruditos, exemplis comprobare, superuacaneum duco, praesertim cum in promptu sint, nec quemquam facile lateant. Loquuntur sane omnes uerustae memoriae principes, paullo sapientiores, ipsa testimonium dicit curia Romana, clamant fora, rostra, templa Deorum, theatra, pulpita, imo singulae porticus, ne quidem castra negant ueterum, esse aliquid in antiquis literarum monumentis, quod lectione Acroamatica cognitum, rerum domi forisque, in toga et militiae gerendarum, uiam ostendat, et publice gratum sit et utile.

Alia igitur est lectio uulgaris, quae sine Acroamatica puerilis est, alia lectio Acroamatica, quae sine uulgari nulla. Illa nimirum animi praeparandi, hac perficiendi, ex illa, quid dicant scriptores, ex hac quid sentiant, docendi. Illa putamina frangere, haec nucleo uelci, monstrat. Illa inuolucra tollere, ut res appareat iudicanda, haec ipsam diiudicare ostendit, ut palam fiat, uerane an falsa, bona an mala, uere utilis sit, an inani utilitatis specie parum cautis imponat.

Lectio uulgaris operam dat, ut sermonem auctoris intelligas, Acroamatica, ut mentem eius et animi sensa perspicias. Illa uerba, quam pura et eleganter posita, haec quam pruden-

prudenter adhibita, illa sententias, quam artificiose uerbis expressae, haec quam sapienter excogitatae, illa, quam crebrae, haec quam diuinae, quam utiles sint, perueffigat. Sie utraque, arctiore uinculo deuincta, se mutuo respicit. Monendi igitur sunt adolescentes, ut in illa uersantes, huic etiam mature aduescant. Excitandi eorum animi et inflammandi, ut in se ipsi descendant, intelligentiam suam excutiant, sese altius erigant, uim illam cogitandi et meditandi, qua homini a Deo nihil datum est praestabilius, agnoscant, nec foris peccant, quod in se habent. Illud enim *ἡδὴ σ' αὐτὸν*, non ad arrogantiam minuendam solum est dictum, ut sapienter Quintum Ciceronem Marcus frater monet, uerum etiam ut bona nostra norimus. Epist. VI.
L. III. Ea lectione Acroamatica antiquorum monumentorum diligentius culta, assidua meditatione aucta, expolita denique, et quantum fieri potest, perfecta, ne quis tantum munus negligere uideatur, in honorem omnis in homine diuinitatis auctoris, et ad usum reipublicae proferat, inque luce, in oculis ciuium collata, tueatur. Etiam tamen, atque etiam uidendum, ne quod in se diuinum erat et illustre, temeritate, immodestia, elatione animi, arrogantia, obscuretur. Sapiens enim ne, insigne uitium in se fuisse, aliquando dicant, cauere debet.

Simul et illud cogitent adolescentes, optimarum artium studiosi, ornatissima et copiosissima oratione, sententia subiecta plane nulla, nihil furiosius, et nulla subiecta auctoris propria, nihil ineptius, sententis autem uel optimis grauissimisque sine omni uerborum copia et ornatu, nihil fieri posse infantius.

Tantum de lectione monumentorum Graecorum Latinorumque Acroamatica et eius in primis dignitate. Rem et subtilius disputari, et latius explanari, et exemplis confirmari nec

XXXII

nec non alio ordine tradi potuisse, non diffiteor. Sed in praesenti quidem perorare malui, quam disserere, et mediocritatis meae mihi conscius, non docere quenquam, sed monere uolui peritos, ut in memoriam redeant eorum, quae de utilissima re uel accuratius meditata ipsi habent, uel melius ab aliis disputata acceperunt. Ita non prorsus nihil dixisse contentus, orationi finem impono.

Haec scripsi, specimen lectionis acroamaticae, quam primum fieri poterit, daturus. Me non multum posse, exploratum habeo, id tamen ipsum, quod possum, quantum cunquae est, experiri, et quaecunquae sint ingenii uires, periclitari apud animum constitui. In hoc periculo, ita euoluam Homerum et Maronem, ut a primo Iliadis et Aeneidis libro orsus, faciem praefereute intelligentia et ratione, singula persequar, ut uniuersum opus, quantum habeat diuinitatis appareat. Ostendam, si potero, singulae sententiae quam sapienter sint cogitatae, quam prudenter uerbis expositae, literisque expressae. Faciam etiam, ut in promptu sit utilitas, quam ex iis respublica et uita communis percipiat, et ego quod *περὶ γυμνασίου* appellauit. At quo expectationem, sin minus uincere, sustinere tamen quodam modo ualeam, uehementer uelim, ne quis tantum a me expectet, quantum ab ingenio diuino, sed quantum ab eo expectari debet, quod mediocritate sua gaudens, satis habet, dum tarditatis notam effugiat. Felix modo fortunatumque esse iubeat Deus immortalis, quodcunquae in pectus institui, cuius *Numen* celebretur perpetuo.



ME 154893

AB: 154893

ULB Halle 3
003 313 859




ST

→ 18

VD 17







14. 76

IOAN. GOTTLOB GVTTLERI
KIRSAVIA-LVSATI
COMMENTATIO
DE
LECTIONE
MONIMENTORVM
GRAECORVM LATINORVMQVE
ACROAMATICA
ET
EIVS IN PRIMIS DIGNITATE.



LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
M DCC XXXVIII.